1353. ię 25. Maii. Ex Cod: MS. vet: Arch: St: Aug: Regis.

521.

114

Ludovicus rex Hungariæ renuntiat omni iuri sibi competenti in ducatus Suidnicenses.

Nos Ludovicus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Baviæ, Serviæ, Gallitiæ Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque rex, princeps Salernitanę et honor, Montissancti Angeli dominus, notum facimus universis. Quòd nos ob amoris synceri puritatem, quo serenissimum ac invictissimum principem et dominum, dominum Carolũ Romanorum imperatorem semper augustum, et Bohemiæ regem, specialis dilectionis favore prosequimur; ipsi tanqm regi Bohemiæ, hæredibus et successoribus, Bohemiæ regibus, et eiusdem regni coronæ in perpetuum, ducatus Suidnicenę et Gaurenę, cum omnibus eorum appendiis, dominiis et pertinentiis, nec non omnia iura, quæ nobis, regno, seu coronæ Hungariæ, in dictis ducatibus, quavis ratione competunt, seu valebunt competere, ritè dedimus, et præsentibus spontè et liberaliter erogamus, renunctiantes expressè pro nobis, fratribus, hæredibus, et successoribus nostris regibus Hungariæ, omni iuri, impetitioni, iuris sanctioni, et omnibus simpliciter respectibus, nobis, regno, et coronæ Hungariæ, competituris et competentibus in eisdem. Promittimus etiam bona et syncera fide, supradicto Romanorum semper augusto et Bohemiæ regi, tanquam regi Bohemiæ, fratri, et amico nostro, hæredibus et successoribus suis, Bohemiæ regibus, dum et quoties requisiti seu moniti fuerimus, adversus quoslibet invasores, seu æmulos eorundem, qui eos in prædictorum ducatuum, appendiorum, dominiorum, iurium, et pertinentiis, possessione, impedire seu molestare contenderet, oportunum impendere auxilium et iuvamen, præsentium sub nostræ maiestatis sigillo, testimonio literarum. Datum Budæ anno domini 1353. 7. Kalendas Iunii, regni autem nostri anno duodecimo.

Jabłoński